

rati sunt. Et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas. Erant autem qui manducaverant, quasi quatuor millia, & dimisit eos. Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha: & exierunt Pharisei, & cuperunt conquirere eum eo, quarentes ab illo signum de celo, tentantes eum. Et ingemiscens spiritu ait: Quid generatio ista signum quarit? Amen dico vobis, si dabitur generationi ista signum, et dimittens eos ascendens iterum navim, abiit trans fretum. Et oblii sunt panes sumere: & nisi unum panem non habebant secum in navi. Et precipiebat eis, dicens: Videte & cavete à fermento Phariseorum, & fermento Herodis. Et cogitabant ad alterutrum dicentes: quia panes non habemus. Quo cognito, ait illis Jesus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? Nondum cognoscitis nec intelligitis? Adhuc cacatum habetis cor vestrum: oculos habentes, non videtis: & aures habentes, non auditis. Nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia: & quot copiosos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim. Quando & septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis? Et veniunt Bethsaida, & adducunt ei cacum. Undecima virtute septem panes, quatuor jejunis millibus franguntur: & pauci pisciculi benedicuntur: & de fragmentis septem sporte plenè sustolluntur. Septem panes, dona sunt septem Spiritus sancti. Quatuor millia, annus est novi Testamenti cum quatuor temporibus. Septem sporte, primæ septem Ecclesiæ. Fragmenta panum, mystici intellectus primæ septimanæ sunt. Pisciculi benedicti, libri sunt novi Testamenti: quoniam piscis affi partem Dominus resurgens postulat: & piscem superpositum prunis, discipulis in captura piscium porrigit. Post hæc veniunt Bethsaida, quæ domus vallis interpretatur & quæ est alia nisi mundus, qui est vallis lachrymarum? Adducunt duo decima virtute, cacum qui non videt, nec ante nec retro, id est, qui fuit, qui est, qui erit.

Et rogabant eum ut illum tangeret. Et apprehensa manu cæci. Quis est qui tangitur, nisi qui compungitur: Et apprehendit manum cæci, ut lamentationem de cæcitate cordis sui agat deflens, ut Jeremias everfionem civitatis Dei: hoc est, animæ suæ.

Eduxit eum extra vicum: & exprensus in oculos ejus, impositis manibus suis interrogavit eum si quid videret. Id est, vicinitatem malorum. Corruptum enim mores bonos colloquia mala. Et exprensus in oculos ejus, ut videat voluntatem Domini per flatum Spiritus sancti: impositis manibus, interrogabat eum si aliquid videret. Per opera Domini videt majestatem ejus. A magnitudine enim creaturæ, creator agnoscitur.

Et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum impositis manibus super oculos ejus, & cepit videre: & restitutus est, ita ut clarè videret omnia: & misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam. Id est, omnes homines existimans superiores sibi: indignum se judicans, ut David vocari hominem, & canem mortuum, & pulicem unum. Iterum manus posuit super oculos ejus, ut videret clarè omnia, id est, per opera visibilia, invisibilia intelligeret, & quæ oculus non vidit: & claræ animæ suæ statum, post rubiginem peccati, mundi cordis oculo contueretur. Beati enim mundo corde: quoniam ipsi Deum vident. Et misit eum in domum suam, ut videret in se quod ante non vidit. Non enim putat homo desperans de salute omnino posse, quid facile illuminatus per spem potest perficere. Et dicit ei:

Et si in vicum introieris, nemini dixeris. Et egressus est Jesus & discipuli ejus in castella Cesaræ Philippi, & in via interrogabat discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines? Qui responderunt illi, dicentes: Joannem Baptistam: alii Eliam, alii verò quosdam de Prophetis. Tunc dicit illis: Vos verò quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei: Tu es Christus. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. Id est, vicinis cæcitate tuam semper enarra, non virtutem: ut ait Paulus: Qui fui blasphemus, & persecutus sum Ecclesiam Dei.

Et cepit docere eos, quoniam oportet filium hominis multa pati: & reprobari à senioribus, & à summis sacerdotibus & scribis, & occidi, & post tres dies resurgere: & palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cepit increpare eum. Qui conversus, & videns discipulos suos,

comminatus est Petro, dicens: Vade retro me satana, quoniam non sapias quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, denegat semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdat eam: qui autem perdidit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum. & detrimentum anima sua faciat? Aut quid homo commutationis dabit pro anima sua? Qui enim me confusus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice, & filius hominis confundet eum cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis. Sicut gubernator peritus tempestatem in tranquillitate præcavens, nautas paratos vult esse suos. Unde Dominus: Si quis vult post me sequi, denegat semetipsum: id est, alter ex altero efficiatur. Post confirmationem crucis, gloria resurrectionis ostenditur. Unde & sequitur tertia decima virtute.

## Caput IX.

Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute. Et post dies sex, assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem, & ducit illos in montem excelsum secretum solus: & transfiguratus est coram ipsis. Et vestimenta ejus facta sunt splendida & candida nimis velut nix: quæ fulso non potest super terram candida facere. Et apparuit illis Elias cum Moysi: Et erant loquentes cum Jesu. Et respondens Petrus, ait Jesu: Rabbi, bonum est nos hic esse: & faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, & Moysi unum, & Elia unum. Non enim sciebat quid diceret. Erant enim timore exterriti. Et facta est nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic est filius meus charissimus, audite illum. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt nisi Jesum tantum secum. Et descendentes illis de monte, præcepit illis, ne cui quæ vidissent, narrarent, nisi cum filius hominis à mortuis resurrexerit. Post dies lex in monte excelso transfiguratus est coram discipulis suis: ne timerent opprobria crucis, qui viderant oculis suis gloriam futuræ resurrectionis.

Et verbum continuerunt apud se, conquirentes, quid esset eum à mortuis resurrexerit. Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Pharisei & Scriba, quia Eliam oportet venire primum? Qui respondens ait illis: Elias cum venerit, primo resurget omnia, & quomodo scriptum est in filium hominis, ut multa patiatur & contematur. Sed dico vobis, quia & Elias venit, & fecerunt illi quæcumque voluerunt, sicut scriptum est de eo. Hoc proprie Marci: id est, cum abfcripta fuerit mors in victoria, non erunt in memoria priora, & non ascendunt super cor: cum abfulerit Dominus sor-des filie Sion, auferens omnem lachrymam ab omni facie sanctorum.

Et veniens ad discipulos suos vidit turbam magnam circa eos, & scribas conquirentes cum illis. Et confestim omnis populus videns Jesum, stupefactus est, & expaverunt: & accurrentes salutabant eum. Non est homini requies sub sole. Semper parvulos occidit invidia: magnos percutiunt fulgura montes. Alii dicentes cum fide: alii invidentes cum fastu, ad Ecclesiam conveniunt. Et populus videns eum, stupefactus est: & expaverunt. Non est timor in charitate. Timor enim est servorum, stupefecerunt stultorum.

Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis? Et respondens unus de turba, dixit: Magister, atuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum: qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arefcit. Et dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt. Qui respondens eis, dicit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero, quamdiu vos pariar? Asserte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum: & elisus in terram, volutabatur spumans, & interrogavit patrem ejus: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? Quod scit Dominus, rogat, ut confessio pariat salutem: & murmur cordis nostri, sermonibus solvatur piis, ut est illud: Dic tu iniquitates tuas prius, ut justificeris. Postea quarta decima virtute unus de turba assertit filium spiritum habentem immundum & reliquas. Quem non poterant discipuli curare; Salvator curavit. Infidelitas utrorumque impeditur salutem. Spiritus

discerpit spumantem, & stridentem, & arefcientem. Peccator spumat invidia, stulticia: stridet iracundia, arefcit ignavia. Discerpit eum spiritus appropinquans ad salutem, quod est esca dilecta, quos in ventrem suum trahere desiderat, per terrores & damna: ut fecit in Job. Interrogat Jesus tempus.

At ille ait: Hic significatur gentilis populus, cui à nativitate increvit cultus inutilis idolorum: ut stultè immolare filios suos demoniis. Unde sequitur:

Ab infantia: & frequenter eum in ignem & aquas misit, ut eum perderet. Sed si quis potes, adjuvanos, miseris nostri. Alii enim de gentibus ignem venerabantur, alii aquam.

Jesus autem ait illi: Si potes credere. Libertatem hic arbitrii indicat.

Omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri cum lachrymis aiebat: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Quæ sunt omnia, nisi quæ in nomine Jesu, id est, salutis postulantur cum lachrymis: Pater pueri aiebat: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Credulitas nostra ut rostrata lingua infirma est, nisi in xia subsistat robori adjutorii Dei. Fides cum lachrymis, optata vota capit: ut est: Fiat tibi secundam fidem tuam.

Et cum vidisset Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi. Dehinc Marcus proprie narrat. Mina Domini, potentia ejus est.

Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi. Spiritui impunitat Deos, quod homini diabolus præstat: dum ille nunquam audiret nec loqueretur: quod peccator penitus audit & loquitur.

Exi ab eo, & amplius ne introcas in eum. Et exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo. Exiit ab homine, nunquam revertitur, si cor suum clavis seraverit humilitatis, & charitatis: & ostium obtinuerit homo unitatis. Unde Propheta dicit: Esto mihi in Deum protectorem & in locum munitionum, ut saluum me facias.

Et factus est sicut mortuus: ita ut multi dicerent, quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit. Sanatis etenim dicitur, Mortui estis, & vita vestra abfcondita est cum Christo in Deo. Unde infirmitas Christianorum non est mors, sed mortis similitudo.

Et cum introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio. Et inde profecti prætergredebantur Galileam: nec volebat quoniam scire. Dicebat autem discipulos suos, & dicebat illis: quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occidetur: & occisus, tertia die resurget. At illi ignorabant verbum, & timebant eum interrogare. Stulticia ad luxuriam carnis pertinet: & jejunio sanatur & oratione. Ira & ignavia oratione depellitur. Medicina cuiusque vulneris adhibenda est ei. Non sanat oculus, quod calcaneo adhibetur. Jejunio, passionis corporis: & oratione peites sanande sunt mentis.

Et venerunt Capharnaum. Capharnaum, villa consolationis. Congruit interpretatio prædictæ sententiæ, qua dicit: Et occisus, tertia die resurget. Granum frumenti moritur, ut multiplicius colligatur: si non moritur solum manet.

Qui cum domi essent interrogabat eos: Quid in via tractabatis? At illi tacebant. Siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset. Et residens vocavit duodecim, & ait illis: Siquis vult primus esse, erit omnium novissimus: & omnium minister. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum. Quem cum complexus esset, ait illis: Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me susceperit, non me suscipit: sed eum qui me misit. Respondit illi Joannes, dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem demonia: qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. Jesus autem ait: Nolite prohibere eum. Nemo enim qui facit virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aque in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me: bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, & in mare mitteretur. Et

si scandalizaverit te manus tua, abfconde illum. In via enim tractabant de principatu: similis tractatio loco, Principatus namque ut ingreditur, sic deseritur: & quamdiu tenetur, labitur: & incertum est in qua mansione, id est, in qua die finiatur. Unde dicit: Qui vult esse primus, ut puer sit minister.

Bonum est tibi debilem introire in vitam. Id est, sine cupido principatu.

Quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem. Duæ manus, principatus sunt & superbia. Abfconde superbiam, tenens humilem principatum.

Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguitur. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum. Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem, mitti in gehennam ignis inextinguibilis: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguitur. Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum. Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguitur. Vermis, est conscientia fera. Ignis, pena inconsummata. Unde per Prophetam dicitur: Ambulare in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis vobis.

Omni enim igne salietur. Mirè dictum est: Quod enim sale conditur, vermis putredinem arceat. Quod verò, id est, asperso sale carnem quæque consumit: hoc secundum legem in hostiis fiebat, quæ in altari cremabantur. Unde in omni victima & sacrificio, sal offerri præceptum est. Sal, dulcedo sapientiæ: & ignis Spiritus sancti gratia. Omnis ignis salietur, quia omnis electus sapientia conditur, ut digna victima Dei altaribus efficiatur. Unde bene addit:

Et omnis victima sale salietur. Ille enim verè victima Domini est, qui corpus & animam à vitis emundando Deo per amorem Spiritus sancti consecrat, nec sale aspergitur, sed igne consumitur: quando non peccati tantum contagio pellitur, sed & præsentis vite delectatio tollitur: & futuræ conversationi tota mente suspiratur. Unde, nostra conversatio in caelis est. Et, obsecro per misericordiam Dei, ut exhibeat corpora vestra &c. Altare Dei, est cor bonorum: hostiæ & sacrificia, bona opera fidelium. In omnibus sacrificiis sal, quia nullum opus bonum sine sapientia. Ignis sacrificia in altare consumit: de quo ipse nos baptizavit Spiritu sancto & igne. Ignis tribulationes respicit: hoc ad superiora, ubi scandalizantia membra evelli præcepta sunt: quia & hoc est igne saliri, tentationibus exerceri, ob Christi amorem dilectos & proximos nobis abnegare. Omnis enim victima salietur. Victima Domini est genus humanum, quod hic ratione sapientiæ salitur: dum corruptio sanguinis custodia putredinis, id est, mater vermium conlumitur: & illic purgatorio igne examinatur.

Bonum est sal, quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis: Sal insulsum, qui amat principatum, qui increpare non audeat & confiteri, ne de synagoga ejiciatur: diligens gloriam hominum magis quam Dei.

Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. Salsitudinem correctionis, amor proximi temperet, & dilectionem proximi sal justitiæ condit. Et in domo iterum discipuli ejus interrogabant eum de eodem. Et hoc proprie: in iterata scientia verbi non fastidium, sed esuriam & sitim præstat: ut est illud sapientiæ: Qui me comedunt, adhuc esurient: & qui me bibunt, adhuc sitient. Melliflua sapientiæ eloquia gustata diligentius, multimodum saporem reddunt. Quando pluit Dominus manna ad manducandum sub sole liquefcens ut cera, reddens mollita dicta, ut est illud: Fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum. Ad ignem duratur: ut, Pannis, cor hominis confirmans. Ad aspera, ut est: Si quis vult post me venire, abneget seipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me.

## Caput X.

Et inde exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem: & conveniunt iterum turba ad eum: & sicut consueverat, iterum docebat illos. Et accedentes Pharisei interrogabant eum: si licet viro uxorem dimittere, tentantes eum. At ille respondens dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses?



Qui dixerunt: Moses permixit libellam repudiis scribere, & dimittere. Quibus respondens Jesus, ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis preceptum istud: Ab initio autem creature masculinum & feminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adheret uxorem suam: & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Pharisei interrogabant eum: si licet viro dimittere uxorem suam, tentantes eum. Item post aliquanta.

Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum & alii nupserit, moechatur. Et offerunt illi parvulus ut tangeret eos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Jesus, indignetur illis, & ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium est enim regnum caelorum. Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos. Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum, dicens: Magister bone, quid faciam ut vitam aeternam percipiam. Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus. Praecepta nosti: Ne adultereris, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris, honora patrem tuum & matrem. At ille respondens, ait illi: Magister, haec omnia observavi a juventute mea. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Unum tibi adest: vade, quaecumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo: & veni, sequere me. Qui comersitatus in verbo, abiit moens. Erat enim habens multas possessiones. Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis: Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt. Discipuli autem obstupescerunt, in verbis ejus. At Jesus rursus respondens: ait illis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos: Et quis potest salvus fieri? Et intuens illos Jesus, ait: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum, omnia enim possibilia sunt apud Deum. Et cepit ei Petrus dicere: Ecce nos dimissimus omnia & secuti sumus te. Respondens Jesus ait: Amen dico vobis: nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me & propter Evangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus: & in saeculo futuro vitam aeternam. Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi. Erant autem in via ascendentes Jerosolymam, & praecedebat illos Jesus: & stupebant, & sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, cepit illis dicere quae essent ei ventura. Quia ecce ascendimus Jerosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & senioribus: & damnabunt eum morte: & tradent eum gentibus, & illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum: & tertia die resurget. Et accedunt ad eum Jacobus & Joannes filii Zebedaei, dicentes: Magister, volumus ut quodcumque petierimus, facias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis? Et dixerunt: Da nobis ut unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. Jesus autem ait eis: Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem quem ego bibo: aut baptismo quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei: Possumus. Jesus autem ait eis: Calicem quidem quem ego bibo, bibetis: & baptismo quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. Et audientes decem, coperunt indignari de Jacobo & Joanne. Jesus autem vocans eos, ait illis: Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis: sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister: & quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. Nam & filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis. Id est, de conjugii statu: sicut sequens capitulum indicat. Et dicit illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, & reliqua. Sed quod dicit Marcus: Iterum discipuli ejus interrogaverunt eum: Non discipuli interrogaverunt prius, sed Pharisei.

Sed secunda interrogatio ab aliis, id est, ab Apostolis, iterum dicta est de eadem re, de qua Pharisei cum interrogaverunt.

Et veniunt Jericho. Jericho, luna, sive anathema interpretatur: quod congruit passioni appropinquanti. Defectus namque carnis Christi, neomenia est caelestis Jerusalema. Unde Jericho deferentes: Jerosolymae, id est, visioni pacis appropinquant.

Et proficiente eo de Jericho & discipulis ejus, & plurima multitudo: filius Timaei Bartimeus caecus sedebat juxta viam mendicans. Quinta decima virtute illuminatur caecus. Caecitas ex parte facta Judaeis illustrabitur in fine quando eis mittit Eliam Prophetam. Juxta viam mendicans. Qui scripturam conservat, nec complet, juxta viam mendicans elurrit.

Qui cum audisset quia Jesus Nazarenus esset, cepit clamare & dicere: Fili David Jesu, miserere mei. Per merita Patriarcharum, Judaicus illuminatur populus. Cui misericors & miserator Dominus adest: illuminans caecos, erigens elisos, diligens pauperes, custodiens advenas.

Et comminabantur illi multi ut taceret. At ille multo magis clamabat: Fili David, miserere mei. Peccata & daemonia compefcunt clamorem pauperis, quem exaudivit Dominus. At ille magis clamabat. Insuperascenti bello, manus ad lapidem adjutorii, hoc est, Jesum Nazarenum, cum clamore levanda sunt.

Et stans Jesus praecipit illum vocari. Et vocant eum, dicentes ei: Animaquior esto: surge, vocat te. Quam conveniens est ordo salutis: audivimus primo, deinde clamamus: postea vocamur, postremo surgimus. Audimus per Prophetas, clamamus per fidem, vocamur per Apostolos: surgimus per penitentiam, exiimur per baptismum, interrogamur per voluntatem. Unde sequitur:

Qui proelio vestimento suo, exiliens venit ad eum. Et respondens Jesus, dixit illi: Exilire nudus veteri homine dicitur: ut hinnulus saliens super colles, exiliens super montes, fecunditiam deponens: Patriarchas, Prophetas, & Apostolos, in altis considerans, ad superna se extendit.

Quid tibi vis faciam? Considerans Jesus promptam voluntatem, completionem desiderii remunerat. Unde & alias dicit: Omne quodcumque petieritis in oratione, credentes, accipietis.

Caecus autem dixit ei: Rabboni, ut videam. Unam petit à Domino: hoc requirit, ut videat voluntatem Domini: & inde videns visitet templum ejus. Unde sequitur:

Jesus autem ait illi: Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur eum in via. In via caecus mendicabat, quae dicit: Ego sum via, veritas & vita. Haec est via angusta quae ducit ad ardua Jerosolymae & Bethaniae, ad montem Olivarum, qui est mons luminis & consolationis.

## Caput XI.

Et cum appropinquarent Jerosolyma & Bethania ad montem Olivarum. Quae est visio pacis: in qua manet fixa immobilisque felicitas: quae secundum Apostolum, mater est omnium credentium, & bene viventium in Christo.

Mittit duos ex discipulis suis, & ait illis: Ite in castellum quod contra vos est: & statim introentes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: solvite illum, & adducite. Et si quis vobis dixerit, quid facitis? dicite, quia Domino necessarius est, & continuo illum dimittet huic. Et abeuntes, invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & solvunt eum. Bini vocantur, & bini mittuntur discipuli Christi: quoniam charitas non consistit cum uno, unde dicitur: Vae soli, & reliqua. Duo educunt Hebraeos de Aegypto. Duo deportant botrum de terra sancta: ut semper praepositi conjungant opus & scientiam: & duo mandata de duabus tabulis proferant, & duobus fontibus abluantur, & abluant: & duobus vectibus arcam Domini portent: & inter duos Cherubim Deum cognoscant, spiritu & mente pfallentes. Pullum ligatum ducunt & indomitum: quem solvunt & domant, qui est populus gentilis, ligatus ante januam fidei cum vinculis peccatorum suorum: in bivio stantem, in libertate arbitrii dubitantem inter vitam & mortem.

Et quidam de illis stantibus dicebant illis: Quid facitis?

solventes pullum? Qui dixerunt eis sicut preceperat eis Jesus, & dimiserunt eum. Et duxerunt pullum ad Jesum. Ac si dicerent, quis potest dimittere peccata.

Multi autem vestimenta sua straverunt in via. Qui sunt pedes, nisi qui portant: & extremi quos ad judicandum constituit Apostolus: Qui & ipsi & si non sunt dorsum, in quo sedit Dominus: tamen cum militibus à Joanne instruantur.

Alii autem frondes cadebant de arboribus, & sternebant in via: & qui praebant & qui sequebantur: clamabant dicentes: Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris nostri David, Osanna in excelsis. Magis hoc ad orandum & sacramentum pertinet, quam ad necessitatem. Justi ut palma floreant: angustii in radicibus, lati in floribus & fructibus: quoniam bonus odor Christi sunt: & sternunt viam mandatorum Dei bona fama. Qui praebant, Prophetae sunt: & qui sequebantur Apostoli: ut abyssus abyssum invocat: id est, lex legem alteram. Osanna, id est, salvifica: dicentes in excelsis & imis: ut justi edificentur in ruinam angelorum: & terreni & subterranei salventur ab eo benedicto vincente & veniente in nomine Domini: id est, patris sui, quoniam filius de patre suscepit nomen & pater de filio.

Et intrauit Jerosolymam in templum, & circumspexit omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim: & alia die cum exiret à Bethania, esuriit. Chonque vidisset à longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea. Et cum venisset ad eam, nihil invenit nisi folia. Non enim erat tempus ficorum. Et respondens, dixit ei: Jam non amplius in aeternum ex te fructum quicquam manducet. Et audiebant discipuli ejus: & veniunt Jerosolymam. Et cum introisset in templum, cepit eiecere vendentes & ementes in templo: & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit. Et non stnebat ut quisquam transferret vas per templum, & dicebat, dicens eis: Nenne scriptum est: quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum. Quo audito, principes sacerdotum & scribae querebant quomodo eum perderent. Timebant enim eum: quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus. Jesus intrat in templum: vespera exit in Bethaniam cum duodecim, mane ad Judaean venit, atque nos in vespera mundi visitat. Estriens Dominus salutem hominum, vidit à longe ficum, foliis, non fructibus ornatam: id est, synagoga vestitam mandatis hominum & superstitionibus scoparum: cui denegat fructum in avum. Inde templum ingressus, eiecit vendentes & ementes, & mensas & cathedras evertit: id est, qui vendunt honorem & gradum emunt. Scriptum est enim: Domus mea, domus orationis vocabitur, juxta Isaiam. Vos autem fecistis eam speluncam latronum: juxta Jeremiam.

Et cum vespera facta esset, egrediebatur de civitate. Et cum mane transiret, viderunt ficum aridam factam à radicibus. Et hoc proprie. Post se relinquens tenebras ut sol in Judaeorum cordibus egrediebatur de civitate ad aliam, quae est benevola & obediens. Mane revertentes viderunt ficum aridam. Occidit sol, oritur sol: lux ablata à scribis, lucet in Apostolis. Ficus arida à radicibus, synagoga est à Cain, & à ceteris, à quibus omnis sanguis ab Abel usque ad Zachariam requiritur.

Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixisti, aruit. Et respondens Jesus, ait illis: Habete fidem Dei: Petrus agnoscit aridam & abscissam radicem: cui succedit oliva pulchra, fructifera, vocata à Domino. Unde sequitur:

Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, Id est, Christo, qui est mons crescens de lapide abscisso sine manibus.

Tollere & mittere in mare: & non habstaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiet, fiet ei. Propetia dico vobis: omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis. Hoc factum est, quando dixerunt Apostoli: Digne transferimur ad gentes: quia vos indignos judicatis audiendi verbum Dei. Sequitur:

Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habeatis adversus aliquem: ut & pater vester qui in caelis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec pater vester qui in caelis est dimittet vobis peccata vestra. Septem versus orationis dominice. Marcus suo more in una oratione comprehendit. Is namque cui dimissa sunt omnia: quod amplius rogabit, nisi quod perferret in eo quod obtinuit.

Et veniunt rursus Jerosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, & scribe, & seniores, & dicunt ei: In qua potestate haec facis: & quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias? Jesus autem respondens, ait illis: Interrogaboy vos & ego unum verbum, & respondete mihi: & dicam vobis in qua potestate haec faciam. Baptisma Joannis de caelo erat, an ex hominibus? Respondete mihi. At illi cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus de caelo, dicit: quare ergo non credidistis ei? Si dixerimus, ex hominibus: timeamus populum. Omnes enim habebant Joannem quia vere propheta esset. Et respondentes dicunt Jese: Nescimus. De lucerna invidi obsecrantur, ut dicitur: Paravi lucernam Christo meo, inimicos ejus induam confusione.

Et respondens Jesus, ait illis: Neque ego dico vobis, in qua potestate haec faciam. Hic cum perverfo subvertitur Deus.

## Caput XII.

Et capit illis in parabolis loqui: Vineam pastinavit homo, & circumdedit sepiem, & fodit lacum, & edificavit turrim, & locavit eam agricolis: & peregre profectus est. Et misit ad agricolas in tempore servum: ut ab agricolis acciperet de fructu vineae. Qui apprehensum eum ceciderunt, & dimiserunt vacuum. Et iterum misit ad illos aliam servum: & illum in capite vulneraverunt, & contumelias affecerunt. Et rursus alium misit, & illum occiderunt: & plures alios, quosdam cadentes, alios vero occidentes. Abiit ergo unum habens filium charissimum, & illum misit ad eos novissimum, dicens: quia reverebuntur filium meum. Coloni autem dixerunt adinvicem: Hic est heres, venite occidamus eum, & nosstra erit hereditas. Et apprehendentes eum, occiderunt, & ejecerunt extra vineam. Quid ergo faciet Dominus vineae? Veniet & perdet colonos, & dabit vineam alii. Nec scripturam hanc legis: Lapidem quem reproboverunt edificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Et querebant eum tenere, & timerunt turbam. Cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto illo abiit. Et mittunt ad eum quosdam ex Phariseis & Herodianis, ut eum caperent in verbo. Qui venientes dicunt ei: Homo, Deus dicitur pater humano affectu. Vineae, domus Israel est. Sepis, est custodia angelorum. Lacus, est lex: turris, templum: agricola, sacerdos. Peregrinatio Dei, libertas est nostri arbitrii. Servi missi Prophetae. Fructus vineae, obedientia. De prophetis alii caesi, alii vulnerati, alii occisi sunt. Filius charissimus & novissimus, unigenitus est. Verebuntur filium meum. Per Ironiam hoc dicitur. Et ejecerunt eum extra vineam: id est, extra plebem, dicentes: Quia Samaritanus es, & daemonium habes. Datur vinea aliis: id est, ab Oriente & Occidente & Austro, & ab Aquilone venientibus: & recumbentibus cum Abraham, Isaac & Jacob in regno Dei. Hic est lapis reprobus quem gestat angulus, conjungens in cena pura agnum cum pane: finiens vetus, novum inchoans testamentum. Hic praestat mira in oculis nostris: ut topazion. Tunc interrogant eum mellitis verbis: & circumdabant eum sicut apes: mel portantes in ore, aculeum in tergo, dicentes:

Magister scimus quia verax es, & non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum: sed in veritate viam Dei doces: licet dare tributum Caesari, an non habimus? Qui sciens versutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? Asserte mihi denarium ut videam. At illi obrulerunt ei, & ait illis: Cujus est imago haec, & inscriptio? Dicunt ei, Caesaris. Respondens autem Jesus, dixit illis: Reddite igitur quae sunt Caesaris, Caesari: & quae sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo. Et venerunt ad eum Sadducei, qui dicunt resurrectionem non esse: & interrogabant eum, dicentes: Magister, Moyses nobis scripsit: ut si cujus frater mortuus fuerit, & dimiserit uxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, & resuscitet semen fratri suo. Septem ergo fra-